



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

30. Paupertas.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

*ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Petri c. 5. 6.*

## PASSUS XXX.

Paupertas.

TEXTUS.

*Qui non renuntiat omnibus,  
quæ possidet, non potest meus  
esse discipulus. Lucae c. 14. 33.*

Cognitio.

**P**Aupertas est omnium rerum temporarium, ob amorem Dei, & desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio. Mundanorum divitum paupertas Spiritûs in hoc sita est, ut bonis suis cor non affigant; secundum illud Vatis Regii: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Ps. 61. 11. Utrum verò cor apposuerint & agglutinati fuerint, in infortunio aut amissione facultatum patet. Religiosi verò affectu & effectu pauperes esse tenentur.

Actus.

1. Omnia personæ & statui superflua dimittere, & in veros pauperes distribuere.

buere. *Si vis perfectus esse; vade, vende, qua habes, & da pauperibus.* Matth. c. 19.

2. Domino rerum temporalium, propter Christum renuntiare, & nihil omnino tanquam proprium possidere. *Nihil habentes.* 2. Corinth. 6. 10.
3. Nihil accipere aut dare sine facultate: quia ad hoc jus non habet Religiosus, cum sint aliena.
4. Nullam re tanquam propria uti, aut sine facultate Superioris: quia nullius rei habet dominium, cum eo, amore Dei, se privaverit.
5. Nihil superfluum retinere, aut oblatum admittere. *Melius est enim minus egere, quam plus habere,* ait S. Augustinus.
6. Vilissima in iis, quæ ad usum conceduntur, eligere. *Spiritus enim mortuus signum est, multa curiosa, non necessaria habere,* ajebat S. Franciscus.
7. Etiam necessariorum carentiam, æquo animo tolerare.
8. Non nimiam pro iis sollicitudinem gerere: sed omnem curam in eum conjicere, cui est cura de nobis: eaque non tanquam debita, sed veluti elemosynam accipere, aut humiliter postulare.

9. Libenter ea, quæ necessaria sunt, vel à Superioribus, vel ab Officialibus, vel ab externis mendicare.

*Consideratio.*

Si mortales paupertatis pretium, & utilitates nôssent, quanto studio ad eam complectendam concurrerent? Hæc enim I. Vitiolorum instrumenta tollit, virtutes oppositas inserit. II. Ad peccata expianda mirè conducit. III. Hominem inutili rerum caducarum occupatione liberat. IV. Animum bonis creatis adhærescere non finit. V. Deo gratos, dilectos, variisque beneficiis dignos reddit. VI. Per victûs, cultûsque tenuitatem, maximam vim ad suam, proximorumque salutem procurandam habet. VII. Optimum medium est, ad obtinendum regnum cœlorum. Unde rectè exclamat S. Laurentius Justinianus: *Quid paupertate melius, quid securius, quid iucundius? Tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi; hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat.* Lign. vitæ de paup. c. 4. Et S. Chrysostomus, *Paupertas, ait, est tutum asyllum, portus tranquillitas, perpetua securitas, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara.* O quis igitur illam non diligat, si Deo pleno corde servire aveat?

*Petitio.*

Domine JESU , qui toto vitæ decursu, paupertatem in sociam individuum elegisti, in stabulo paupere nascens , in cruce nudus moriens ; prædicationis tempore , ubi caput reclinares , non habens : largire mihi paupertatis spiritum ; ut Te imiter, Tibi placeam , atque hîc centuplum , in futuro , vitam æternam possideam.

*Aspirationes.*

I. *Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est regnum caelorum. Matth. c. 5.*

II. *O quanta beatitudo ! pro parvis magna recipere , aeterna pro brevibus , pro morituris semper viventia , & habere Deum debitorem ? S. Hieron. Epist. 150.*

III. *Hoc oro , hoc desidero , ut ab omni proprietate exspoliatus , nudus nudam JESUM sequi valeam.*

P A S S U S XXXI.

*Studiositas.*

T E X T U S.

*Stude sapientiæ , fili mi , & læti-*

H 4

*fica*